



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

SERIES CAPITULORVM.

IN ANTIQVIS.	c. 3. n. 9. & seq.
c. 1. n. 1. & 2.	c. 4. & ult. n. 11. & seq.
c. 2. n. 6. & duob. seqq.	c. unic. in 6. n. 4.

TITVLVS XXXVIIII.
DE JURE PATRONATUS.

SECTIO I. De definitione, ac divisione Juris patronatus, & modis, quibus acquiri, & à quibus personis obtineri potest.

§. I. Quid, & quotuplex sit Jus patronatus, & utrū sit jus simpliciter spirituale, an verò potius temporale?

ASSERTIO I. Jus patronatus est jus, seu potestas nominandi sive presentandi, Clericū promovendū ad Beneficium vacans, n. 2. Ubi etiam traditur alia ejus definitio. Aff. 2. Jus patronatus est duplex, Ecclesiasticum, & Civile, sive seculare: prius est, quod Collegio, vel Personæ Ecclesiasticæ, ratione Dignitatis, vel Beneficij Ecclesiastici, competit: posterius est, quod Universitati, seu Collegio non sacro, vel personæ privatae, sive Laico, sive Clerico, ratione proprii patrimonij competit. Addi potest tertia species, scilicet Jus patronatus mixtum ex utroque, n. 3. An Patronatus secularis, si transferatur in Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, fiat Ecclesiasticus, & vice versâ, si Patronatus Ecclesiasticus transeat ad Laicum, fiat secularis? n. 4. Aff. 3. Jus patronatus, vel secundum se, & ex objecto suo est simpliciter, & intrinsecè spirituale, vel potius est solum antecedenter annexum spirituali, n. 5.

§. II. Quibus modis acquiratur Jus patronatus?

ASSERTIO I. Tribus potissimum, fundatione, constructione, & dotatione Ecclesiæ. Quis dicatur fundasse, quis construxisse, quis dotasse? n. 6. Idemque magis declaratur, n. 7. An per solam fundationem, sive soli assignationem acquiratur statim Jus patronatus? nu. 8. An sub constructione comprehendatur, etiam reparatio, seu reedificatio, num. eod. Si dos, vel fundus alicujus Ecclesiæ omnino pereat, Jus Patronatus acquirat ille, qui novam dotem, vel fundum assignat, n. 9. An Jus patronatus possit acquiri post consecrationem Ecclesiæ? nu. 10. Ut Jus patronatus acquiratur Ecclesiæ, requiritur, ut cum Episcopi Diocesani, sive, Ordinarii auctoritate, & consensu, Ecclesia fuerit fundata, constructa, aut dotata, sufficit autem consensus tacitus, sive præsumptus illius, n. 11. Aff. 2. Potest Jus patronatus etiam obtineri ex privilegio, concessio à S. Pontifice, n. 12. An, si quis in fundo alieno, invito Domino, ædificet Ecclesiam, Jus patronatus acquiratur ædificanti: an verò Domino fundi? n. 13. Item, an si Parochus, vel alius Clericus, ex redditibus Beneficij sui Ecclesiam, vel Capellam, ædificavit, acquirat Jus patronatus in illa, num. 14.

§. III. Quinam sint capaces Juris patronatus, sive quibus competere potest, vel non?

ASSERTIO I. Non tantum Clerici: sed etiam Laici sunt capaces Juris patronatus, iisque hoc jus competit, ex concessione Ecclesiæ, & quidem ex gratia, non ex debito, n. 15. Aff. 2. Non solum mares, sed etiam feminae sunt capaces Juris patronatus, n. 16. An, si Jus patronatus annexum sit bonis ab uxore marito in dotem datis, Jus presentandi spectet ad

uxorem, an verò ad maritum, saltem durante matrimonio? n. 17. Aff. 3. Non solum puberi: sed etiam impuberi competere potest Jus patronatus? num. 18. Item, si filiusfam. sit Patronus, presentatio ad ipsam spectat, non ad patrem, num. eod. Aff. 4. Non tantum legitime nato: sed etiam spurio, & alij illegitimo competere potest Jus patronatus, n. 19. Aff. 5. Judæus, aut Paganus, seu Infidelis, est incapax Juris patronatus, sicut Hæreticus, n. 20. Aff. 6. Ligatus excommunicatione majore non amittit Jus patronatus, ejus tamen usu, ac exercitio privatur, donec fuerit absolutus, num. 21. Quæ sit differentia inter excommunicatum vitandum, & non vitandum, quoad presentationem? num. 22.

SECT. II. Quæ Jura competant Patronis, & quam potestatem habeant, vel non habeant in Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis?

§. I. An competat Patronis, Jus, seu potestas libere disponendi de Ecclesiis, & juribus, ac bonis earum, quarum sunt Patroni?

ASSERTIO I. Patroni Laici, vel etiam Ecclesiastici, non habent potestatem, bona Ecclesiarum, quarum sunt Patroni, administrandi, vel de illis libere disponendi, instituendo, vel destituendo Clericos in Ecclesiis patronatis, idque prohibitum est, sub pena excommunicationis, n. 23. Idemque dicendum de Clerico, qui Ecclesiam à Laico, sine proprii Episcopi auctoritate, accepit, sive in illa institui, aut in eam se permisit? nu. 24. Similiter, qui Ecclesiam, aut Beneficium obtinent à Laico, v. g. Patrono Ecclesiæ, sine auctoritate Episcopi, post monitionem, ab officio, & Beneficio sunt suspendendi, & si non destituerint, excommunicantur, n. 25. Item, qui Ecclesias spoliant bonis suis, excommunicandi sunt, n. 26. Aff. 2. Patroni, non tantum instituere, aut deponere Clericos in Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis non possunt, etiam si Patroni Ecclesiastici sint: sed neque libere conferre possunt Ecclesias, vel Beneficia, in quibus Jus patronatus habent, n. 27. & tribus seqq.

§. II. An jus eligendi, vel presentandi competat Patrono in Ecclesia Collegiata, seu Conventuali, & quænam jura, præter jus presentandi, eidem debeantur?

ASSERTIO I. Is, qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, vel dotavit, est quidem Patronus illius: non tamen jus eligendi Prælatum habet, idemque non potest ferre suffragium in electione: præteritum si Laicus sit, nec illi interesse debet, neque illius assensus requiri, ante electionem, n. 31. Aff. 2. Sed neque jus presentandi Prælatum in Ecclesia Collegiata Laicis est concessum: sed solum in Capella, seu Ecclesia non Collegiata, etsi Parochialis sit, nu. 32. Per nullam consuetudinem, etiam immemorabilem, potest Laicus, etsi Patronus sit Ecclesiæ, acquirere jus eligendi Prælatum in Ecclesia Collegiata, bene tamen per privilegium Papæ. Potest tamen per consuetudinem, aut pactum appositum in fundatione constitui, ut consensus vel saltem consilium Patroni, ante electionem, requiri debeat, vel ut interesse possit statu de electione, nu. 33. & seqq. Non potest Episcopus ordinariè Ecclesiam parochialem Patronatus commutare in Ecclesiam Collegiatam, invito Patrono: quoddam sibi causam necessariam id fiat, retinet Patronus jus presentandi, non tantum ad Canonice, & Beneficia simplicia: sed etiam illius Ecclesiæ

nu. 35. Assertio 3. Propter foundationem Ecclesiæ debetur Patrono honor Processionis, & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia ei modeste succurrendum est, nu. 36. & 37. Habet etiam Patronus jus, vel potius onus, defendendi Ecclesiæ, n. 38.

§. III. An Patronus possit Jus patronatûs alienare, vel pensionem aliquam exigere, vel aliud onus, seu gravamen imponere Ecclesiæ, vel Beneficiis patronatis?

Patronus non potest, propriâ auctoritate, sine consensu Ordinarij, alienare Jus patronatûs, nec aliquid temporale ab Ecclesia patronata, vel ex Beneficio exigere, nec aliud onus ei imponere: nisi pensio in prima foundatione, cum consensu Episcopi, fuerit ipsi reservata, num. 39. & 40. Quomodo tam ipsum Jus patronatûs, vel advocatiæ, quam etiam fructus, seu redditus annui, quos Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ percipere potest, alienari possint, vel non? n. 41. Est autem prohibitum, sub pœna excommunicationis, ne Patroni, vel Advocati Ecclesiarum, in recognitionem Juris patronatûs, vel advocatiæ, aliquid ab ipsis exigant, neque tributa, vel onera eis imponant, nu. 42. Patronus, sive Fundator Ecclesiæ, potest in ipsa foundatione honestam conditionem apponere, cum consensu Episcopi, etiam contra Jus commune, & cum derogatione Juris Episcopalis, n. 43.

SECTIO III. De modis, quibus Jus patronatûs in alium transferri potest.

Tales modi sunt quatuor. Successione, sive jure hæreditario, donatione, permutatione, & venditione.

§. I. An, & quâ ratione, Jus patronatûs per successionem hæreditariam transferri possit?

ASSERTIO I. Jus patronatûs ad quovis hæredes Patroni, cum universitate possint, quibus est annexum, transire potest, sive ex testamento, sive ab intestato, etiam ad hæredes extraneos, mares, vel feminas, n. 44. Ass. 2. Si plures hæredes sint unius Ecclesiæ Patroni, Jus patronatûs inter se dividere non possunt: sed illud in solidum ad quemlibet hæredem transit, ita, ut unus seorsim per se præsentare non possit, sed omnes simul, & communiter, n. 45. Quomodo Patroni inter se dividere possint Jus præsentandi? nu. 46. Ass. 3. Si plures hæredes extent plurius Patronorum, tunc illi in jure præsentandi succedunt, non per capita, sed per stirpes, ita, ut hæredes, etsi plures unius Patroni, unum tantum suffragium in præsentando habeant, nu. 47. Idque declaratur, distinguendo, utrum Jus præsentandi pertineat ad plures divisim, seu seorsim ad singulos, vel ad plures conjunctim, ut universos, n. 48. & 49. Quando Patroni dissentiunt, & diversi diversos præsentant, qui habet majora merita, & vota plura, præfertur: si hoc sine scandalo fieri non possit, Episcopus instituit Rectorem, prout melius judicaverit. Idemque est, si ortâ questione inter aliquos de jure Patronatûs, illa intra 4. menses non fuerit definita, cit. nu. 48. Porro si Patroni, vel hæredes eorum inter se discordant in præsentando, ideôq; Ecclesia careat Rectore, Episcopus indicare debet in Ecclesia cessionem à Divinis Officijs, nu. 50. Imò etiam hoc casu Episcopus debet inde tollere Reliquias, & ostia Ecclesiæ claudere, donec idoneum Presbyterum constituent, n. 51.

§. II. Ad quos præterea Jus patronatûs per successionem transire possit?

Quæ. 1. An Jus patronatûs Gentilitium, sive reservatum illis, qui sunt de familia Fundatoris, jam extinctâ, trāseat ad hæredes extraneos? Resp. 1. Si Fundator expressè voluit, ut Jus patronatûs tantum pertineat ad agnatos, sive eos, qui sunt de familia, tunc ad hæredes extraneos non transit: sed extinctâ familiâ, etiam Jus patronatûs extinguatur, & Ecclesia sit libera, nu. 52. Si verò Jus patronatûs sit concessum à Fundatore illis, qui sunt de familia, simpliciter, & absolute, & non tantum cum restrictione ad agnatos, tunc extinctâ familiâ, transit ad hæredes agnatorum, etiam extraneos, n. 53. Qu. 2. An Jus patronatûs transeat ad Fideicommissarium universalem? Communis sententia negat, transire: opposita tamen sententia affirmativa est valde probabilis, num. 54. & 55. Quæ. 3. An in divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus patronatûs? Probabilius est, non posse, nu. 56. Qu. 4. An bonis omnibus Patroni Fiscò additis, ob crimen, Jus patronatûs quoque transeat ad Fiscum, etiam sæcularem, isque in eo succedat? Resp. Etsi Princeps sæcularis non potest per se, ac directè Patronium privare Jure Patronatûs, ob delictum Patroni: si tamen bona confiscantur, ob delictum ejusdem, quibus annexum est Jus patronatûs, etiam hoc accessorie, & indirectè transit ad Fiscum Ecclesiasticum, vel Sæcularem. Secus est, si Jus patronatûs non sit annexum bonis: sed per se, ac singulariter persistat, tunc enim Jus patronatûs manet penes delinquentem, donec per sententiam Judicis privetur eo, num. 57. Quæ. 5. An Jus patronatûs possit transferri ad alium, per legatum in testamento relictum? Resp. affirmative, etiam sine consensu Episcopi, si legetur Ecclesiæ: aliàs requiritur consensus ejusdem, n. 58. Qu. 6. An Jus patronatûs possit etiam per hæreditariam successionem transire ad Monasterium, seu Religionem? Resp. affirmative, n. 59.

§. III. An, & quo pacto Jus patronatûs per donationem ad alios transferri, & an etiam Ecclesiæ concedi possit?

ASSERTIO I. Si Patrono competat Jus patronatûs, jure proprio, seu privato, sive Laicus sit, sive Clericus, potest liberè, & sine consensu Episcopi Diocesani, Ecclesiæ, Monasterio, vel alij loco Religioso, aut etiam Clerico, nomine Ecclesiæ, concedere. Non tamen per hoc præjudicatur juri Episcopi, num. 60. Ass. 2. Patronus Ecclesiæ non potest Jus patronatûs per se, & singulariter concedere, seu donare Laico, vel etiam Clerico, ut personæ private, sine consensu Episcopi, alioquin donatio est invalida, n. 61. Ass. 3. Potest Patronus Jus patronatûs, quod in Ecclesia habet, non solum alteri: sed etiam eidem Ecclesiæ donare, modò Ecclesia habeat Jus Patronatûs, quoad plura Beneficia sibi incorporata, n. 62. Ass. 4. Potest Patronus Compatrono suo, etiam privato, sine Episcopi consensu, Jus patronatûs donare, seu remittere, nu. 63. Ass. 5. Non potest Patronus Laicus, quantumvis Regiâ potestate præditus, Ecclesias patronatas alicui Clerico, Monasterio, vel Religioso loco, concedere, seu donare: nec in titulum, nec in proprietatem, sive per modum incorporationis, sine auctoritate Episcopi, n. 46. In dubio verò præsumitur, quod

quod Patronus voluerit donare Jus, quod in Ecclesia habet, scilicet Jus patronatus, *n. eod.* Si Laicus concedat Ecclesiam non vacantem, inconsulto Episcopo, alicui loco Religioso, & post talem concessionem Ecclesia vacet, & Patronus laicus præsenter Clericum, eumque Episcopus instituat, hoc casu, secunda concessio, & institutio est valida; quia prima fuit nulla, quippe facta de Ecclesia non vacante, & quia Laicus non potest dare alicui Ecclesiam, sine consensu Episcopi. Diocesani, *n. 65.* Similiter, si Patronus laicus concedat Ecclesiam, in qua Jus præsentandi habet, alicui, sine licentia Episcopi, deinde præsenter alium Episcopo, quem is instituit, valet ejus institutio; quia prima concessio est nulla, *n. 66.* Item Religiosi non possunt sibi vendicare, vel retinere Ecclesias concessas à Laicis, sine consensu Episcopi Diocesani: nisi legitime præscripserint, vel postea Diocesanus consenserit, *n. 67.* & seq. Patronus Laicus non potest, sine consensu Episcopi, dare alicui Religioso loco Ecclesias, Decimas, vel aliud spirituale: si quis verò Episcopus, ob improbitatem, vel avaritiam consentire nolit. Patre denunciari debet, ut quod dandum est, cum ejus licentia, detur, *n. 69.* & seq.

§. IV. An, & quomodo Jus patronatus per venditionem transferri possit?

ASSERTIO I. Jus patronatus non potest per se, & liberè vendi, aut emi, sine vitio simoniæ, *n. 71.* Aff. 2. Potest Jus patronatus vendi, vel potius per venditionem transferri per accidens, & concomitanter, vendendo rem temporalem, in qua est Universitas, cui Jus patronatus accessorie est annexum: nisi hoc sit in venditione specialiter exceptum, *n. 72.* Quid intelligatur nomine Universitatis rei, cum qua transit Jus Patronatus? *n. 73.* Transit autem hoc Jus in quemcunque, cum Universitate, cui adhæret, etiam sine consensu Episcopi, *n. eod.* Vendit universitas bonorum, non transit Jus patronatus in emptorem, si illud non cohæreat ipsius bonis, sed personæ venditoris, adeoque sit personale, primario personæ competens, *n. 74.* Venditio Universitatis, cum expressa mentione de Jure patronatus, non est vitiosa, nec simonica, neque in foro conscientiæ, neque in externo, *n. 75.* Contractus, per quem Jus patronatus accessorie transit ad alium, debet esse quædam alienatio, sive talis contractus, per quem transfertur dominium directum, vel saltem utile, & possessio, ut in locatione ad longum tempus, *n. 76.* An, si lis sit mora super Jure patronatus, ante factam præsentationem, sive super proprietate illius, talis præsentatio admitti debeat, vel non? *n. 77.* Patronus Ecclesiasticus potest exigere rationem à Beneficiario præsentato, non autem Patronus laicus: Item prior habet administrationem, & custodiam reddituum temporalium, vacante Ecclesia, & Oeconomum constituit potest, non item posterior, *n. 78.*

§. V. An, & quâ ratione Jus patronatus permutari, vel in Feudum, & Emphyteusim, vel in pignus dari possit?

ASSERTIO I. Jus patronatus cum alio simili Jure permutari potest, cum consensu Episcopi: non autem cum re merè temporali, *nu. 79.* Aff. 2. Si Jus patronatus successionem, vel alio modo ad alium Patronum transfertur, non potest is statum Ecclesiæ, vel ejus Rectorem mutare, nec possunt, pro voluntate Patronorum, Ecclesiæ mutari, *n. 80.* Aff. 3. Jus pa-

tronatus dari potest in Feudum, vel Emphyteusim, cum Universitate rei, cui inseparabiliter cohæret: ita tamen, ut Jus Episcopale in illa Ecclesia non minuat, *n. 81.* Aff. 4. Si universitas bonorum, v. g. Civitas cum pertinentiis, cui Jus patronatus annexum est, creditori in pignus datur, Jus patronatus in eam non transit, ita, ut creditor suo jure, aut nomine præsentare non possit, *num. 82.* Ubi etiam additur, quando Jus patronatus possit transire ad creditorem. SECT. IV. De præsentatione, sive ipso actu præsentandi, ejusque circumstantiis.

§. I. An præsentatio facta à possessore Juris patronatus, si Jus proprietatis non habeat, valida sit?

ASSERTIO I. Præsentatio facta ab eo, qui tunc erat in quasi possessione Juris patronatus, tenet, & consequenter etiam subsequens institutio: etsi postea constet, quod verus Patronus non fuerit, *n. 83.* Aff. 2. Ut institutio facta ad præsentationem ejus, qui non est Patronus, valeat, adeoque etiam ipsa præsentatio, duo requiruntur, nempe, ut communiter reputetur Patronus, & ut sit in possessione præsentandi, adeoque solus error communis non sufficit, sine possessione, ut actus gestus à non possessore valeat: requiritur tamen etiam, ut sit in possessione, cum bona fide, *num. 84.* Institutus ad præsentationem veri Patroni, licet non sit in possessione juris præsentandi, validè est institutus, nec amoveri potest, si nullus alius sit in possessione, *num. 85.* Sed quid, si alius sit in possessione juris præsentandi: sed malà fide, an præsentatus à Patrono admitti debet? *nu. eod.* Si quis per Judicis sententiam obrinuit Jus patronatus, sed malà fide, sciens, id sibi non competere, tunc cognitio postea errore, etiam institutio subsequens rescindi debet, *nu. 86.* Ubi tamen aliqui distinguunt, de quo *n. eod.* Possessio Juris patronatus acquiritur ex una præsentatione, *cit. num. 86.* Aff. 3. Si duo sint præsentati ad eandem Ecclesiam, unus ab eo, qui est in possessione præsentandi: alter autem à vero Patrono, ad quem spectat proprietas hujus juris, quis et illis erit præferendus: & quid si possessor fuit in malà fide? *n. 87.* Quid circa hoc statutum sit Jure novo Concilij Tridentini? *n. 88.*

§. II. An Patronus possit præsentare se ipsum, vel filium suum, si sit idoneus: Item, si plures sint Patroni, an unus ex se ipsis: ac denique an semper dignus, vel dignior præsentari debeat?

ASSERTIO I. Patronus Ecclesiæ, vel Beneficii vacantis, etiam si Clericus sit, & idoneus, se ipsum ad illam præsentare non potest, *n. 89.* Sed neque à Beneficium simplex Patronus se ipsum præsentare potest: neque etiam per alium à se delegatum, vel procuratorem à se constitutum, *n. 90.* Verum Episcopus, Ecclesiā, vel Beneficio, in quo Patronus præsentandi habet, vacante, spontè, & motu proprio, illud Patrono conferre potest, si idoneus sit, *num. 91.* Aff. 2. Potest patronus filium, si idoneus sit, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium, in quo ipse Jus patronatus habet, *n. 92.* Illud Jure Canonico est prohibitum, ne Clerici emant, vel alio titulo, etsi jure, acquirant Jus Patronatus, cum ea intentione, ut illi vel nepotes eorum in Ecclesiis patronatis ab ipso præsententur, alioquin eodem Jure patronatus sunt spoliandi, *n. 93.* Aff. 3. Si plures sint Patroni Clerici, vel unus Laicus, & alter Clericus, possunt unus

ex se ipsis presentare, *nu. 94. Aff. 4.* Patronus semper debet ad Beneficium presentare dignum, & idoneum; aliàs peccat: debet autem presentandus dignus, & idoneus esse, tempore presentationis: unde Laicus non potest ad Beneficium presentari, saltem regulariter, *n. 95.* Probabile est, non esse peccatum, saltem grave, presentare ad Canonicatus, & Beneficia simplicia, minùs dignum, omisso digniore, *num. eod.* Quid circa hoc decretum sit à Concilio Tridentino? *cit. n. 95.*

§. III. An Patronus licet possit in presentando variare, sive mutare sententiam, alium presentando, ante institutionem prius presentati?

ASSERTIO I. Patronus Laicus potest variare, id est, postquam unum idoneum presentavit, ante institutionem illius, in Ecclesia, vel Beneficio factam, alium idoneum presentare, *n. 96.* Qui verò à Patrono Ecclesiastico prius est presentatus, praefertur posterius presentato, *num. 97.* Postquam presentatus, sive primò, sive secundò loco institutus est ab Episcopo, plenum jus in Ecclesia, vel Beneficio consequitur: etiamsi possessionis traditio nondum sit facta, *n. 98.* Duobus modis potest fieri presentatio, vel simul presentando plures, ut unum ex illis Episcopus instituat: vel duos, aut plures successivè, unum post alterum: & tunc praefertens alterum, non censetur rejicere primum, *n. 99.* Patronis laicis, antequam instituat Episcopus, permillum censetur, semel tantum variare, & pro prima vice: quamvis aliqui putent, quòd saepius possint variare, & plures simul, ac successivè, quot voluerint, presentare possint. Sed prior sententia est communior, & probabilior, *nu. 99.* Episcopus, presentatos à Patronis, si idonei non sint, non potest, nec debet admittere, *nu. 100.* Si ex duobus cumulativè presentatis ab eodem Patrono, sive successivè, unus sit dignior altero, Episcopus debet praeferre eum, qui est dignior: nisi duo æquè digni reputentur, tunc enim Episcopus potest instituere, quem voluerit, *cit. nu. 100. Aff. 2.* Si presentatus à Patrono laico rejiciatur ab Episcopo, idèòque appellet ad Papam, & interim Patronus alium praesentet, isque instituat, hic praefertendus est prius presentato, *num. 101.* Quando Patronus Laicus variare, sive postquam unum presentavit, alium presentare non possit? *n. 102. Aff. 3.* Patronus Ecclesiasticus non potest variare, presentando alterum: sed instituendus est, qui primò est presentatus, si sit idoneus, *n. 103.* Est & aliud discrimen inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum, quòd si prior praesentet indignum etiam scienter, non ideo, pro ea vice, est privatus jure presentandi: sed mandari ei debet, ut alium idoneum praesentet: At Patronus Ecclesiasticus, si scienter praesentet indignum, est privatus ipso jure, vel saltem privandus per sententiam Judicis jure presentandi pro ea vice, & ad proximum Superiorem devolvitur libera collatio, *n. 104.*

§. IV. Intra quod tempus presentatio fieri debeat à Patrono, sive Laico, sive Ecclesiastico?

ASSERTIO I. Patronus Laicus intra IV. menses presentare debet: Ecclesiasticus verò intra sex menses, numerandos à die vacationis cognitæ: alioquin, si intra hoc tempus presentatio non fiat, Ecclesia, vel Beneficium pro ea vice, liberè conferri potest ab eo, ad quem jus instituendi pertinet, *num. 105. Aff. 2.*

Tomus III.

Hoc tempus quadrimestre, vel semestre non currit, adeoque non obest Patrono ignoranti, vel legitime impedito: quamvis sit continuum, & currat etiam diebus feriatis, *nu. 106. Aff. 3.* Patronus Ecclesiasticus habet tempus semestre ad presentandum, etiamsi hoc jus à Laico acquisiverit, *n. 107.* Si Ecclesia, vel Persona Ecclesiastica, & Laicus sint Compatroni, simulque habeant jus presentandi, tum etiam Laicus habet sex menses ad presentandum, propter communionem cum Ecclesia, vel Clerico, *nu. 109.* An Patronatus originem trahens à Laico, si transferatur in Ecclesiam, censeri debeat Jus patronatus Ecclesiasticum, & vice versà, si Jus patronatus spectans ad Ecclesiam, transeat in Laicum, censendum sit Sæculare, seu Laicum? *n. 109.* Solvitur objectio, *n. 110.*

§. V. An post tempus ad presentandum jure definitum, elapsum, lite adhuc pendente, Episcopus liberè instituere possit, sine presentatione Patroni?

Si inter Patronos lis orta sit de jure presentandi, eaque intra 4. menses, si Patronatus sit Laicus, vel 6. si sit Ecclesiasticus, finita non fuerit, Episcopus liberam institutionem facere potest: interim tamen differri debet ordinatio Ecclesiae, sive institutio Rectoris: sed non ultra tempus à jure definitum ad presentandum, *n. 111. & 112.* Quòd, si Patronus Ecclesiasticus, & Laicus litigent de jure patronatus, debet differri institutio Rectoris per 6. menses, *num. 113.* Si de jure patronatus quaestio orta inter Patronos, intra 4. menses, si Patronatus sit Laicus, finita non fuerit, Episcopus de persona idonea providere debet, ita, tamen, ut imposterum nullum praedictum fiat illi, qui Jus patronatus in judicio everit, *n. 114.* Aliud est dicendum de electione Praelati, ob motam litem judicariam de jure eligendi: ea enim non extenditur ultra tempus à jure praescriptum ad eligendum, nec ideo eligentes pro ea vice privantur potestate eligendi, neque libera provisio ad Episcopum devolvitur, ad quem pertinet, electum confirmare, *num. 115.* Quando, quod dictum est, si sit lis mota inter Patronos super jure presentandi, nec finita intra tempus praescriptum, Episcopus possit liberè providere, non habeat locum? *n. 116.*

SECT. V. De potestate Episcopi, & S. Pontificis circa Ecclesias, & Beneficia patronata, & de amissione Juris patronatus.

§. I. An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel presentatione Patroni, valida sit institutio, & an possit fieri presentatio ad Ecclesiam non vacantem?

ASSERTIO I. Institutio Episcopi, sine presentatione, & consensu Patroni, facta, regulariter, & ordinariè est ipso jure nulla, *n. 117. & seq.* Dummodo Patronus intra tempus ad presentandum concessum reclamet, & contradicat, alioquin provisio Ordinarii, post elapsum praedictum tempus, firma erit, & convalidatur per supervenientem consensum Patroni, qui censetur tacitè illam approbare, *nu. 119.* Sunt tamen plures casus, in quibus institutio Rectoris, vel Beneficiarii ab Ordinario facta, sine consensu, & presentatione Patroni, est valida, qui recensentur, *n. 120. Aff. 2.* Non tantum presentatio: sed etiam promissio à Patrono facta, de presentatione facienda, antequam Ecclesia vacet, aut Beneficium, illicita est, & irrita, sed ea non obstante, postquam vacat Ecclesia,

sia, & tempus ad præsentandum est elapsum, Episcopus institutionem facere potest, n. 121.

§. II. An Episcopus possit Ecclesiam, vel Beneficium patronatum donare, vel unire alteri Ecclesie, vel Beneficio: & an Episcopo donari possit à Patronis Jus patronatus in Ecclesiis aliena, vel propriæ Diocesis?

ASSERTIO I. Non potest Episcopus Ecclesiam, vel Beneficium, quod est Juris patronatus, concedere, vel unire alteri Ecclesie, vel Beneficio, sine consensu Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici, nu. 122. Concessio Ecclesiæ facta alteri Ecclesie, per Episcopum, & Patronum, valet, non obstante priore concessione facta per solum Patronum, cit. nu. 122. Non potest Episcopus Ecclesiam incorporare, seu unire alteri Ecclesie, sine consensu Patroni, nu. 123. Si concessio, seu unio alicujus Ecclesiæ prius facta sit, sine consensu Patroni, & multò magis si à Patrono, sine auctoritate Episcopi, illa non obstante, valet posterior concessio, seu unio ejusdem Ecclesiæ, legitime facta, n. eod. Concessio, sive unio Ecclesiæ facta à Patrono alteri Ecclesie, potest per subsequentem Episcopi consensum confirmari, ita, ut ex eo tempore sit valida, n. 123. Aff. 2. Si Episcopus habeat jus præsentandi in aliena Ecclesia, & præsentet idoneum, is est admittendus, n. 124. Id verò dupliciter potest fieri, vel si donatur Episcopo à Patrono Jus patronatus in Ecclesia alterius Diocesis: vel si ipsi donetur in Ecclesia sua Diocesis, cit. nu. 124. Et si Episcopus potest, extra Diocesim suam, conferre Beneficia: non tamen præsentatos à Patronis instituere, n. 125.

§. III. An Episcopus præsentatum à Parocho ad Titulum suæ Ecclesiæ ordinandum, irrequisito Patrono, admittere, & instituere possit, ac debeat?

Si Parochus, vel alius Beneficiatus Clericum Episcopo præsentet ad Titulum sui parochialis Beneficii, quod patronatum est, in Sacris ordinandum, & Patronus consensum non det, valida quidem, imò & licita est præsentatio, adeoque ea ab Episcopo admitti potest, ac debet: nullum tamen Patrono præjudicium generatur, quin vacante Ecclesia parochiali, alium idoneum ad illam præsentare possit, num. 126. & seq. Ubi id declaratur, quòd procedat, non solum si Patronus non consentiat in præsentationem ordinati ad Titulum Parochiæ: sed etiam si consensum dedit.

§. IV. Qualem præterea potestatem habeat Episcopus, vel non habeat, circa Ecclesias, & Beneficia patronata?

Si per Patronos Ecclesiasticos præsentatis ad Ecclesias, in quibus ipsi non consueverunt omnia onera supportare, intra terminum competentem non assignetur congrua portio, Diocesanus eam assignare debet, nisi onera sint per Patronos ferenda. Id verò non habet locum in Religiosis, & Clericis, qui habent jus præsentandi tantum; quia Rector non partem, sed omnes proventus habet: sed procedit solum in ijs, qui habent jus præsentandi, unà cum dominio reddituum temporalium, n. 128. & seq. Aff. 2. Non potest Episcopus condiciones Beneficii in prima fundatione appositas, nec quidem cum consensu Patroni, saltem in totum, & in perpetuum mutare; quia ad solum Papam pertinet, Fundatorum dispositiones,

ob justam causam, mutare, n. 130. Probabile tamen est, quòd Episcopus, ex justa causa, cum consensu Patroni, seu hæredis Fundatoris, interdum etiam possit pro una, aut altera vice, interpretando, vel dispensando, mutationem aliquam, quoad unam, vel alteram conditionem, in prima fundatione appositam, facere: non autem penitus eas tollere, aut immutare, num. 131. Idque declaratur exemplis num. 132.

§. V. An S. Pontifex, citra Patroni consensum, possit Beneficia conferre, & an etiam Legatus Papæ possit Juri patronatus derogare?

ASSERTIO I. Potest Papa cuivis Patronatui, Ecclesiastico, & Laico, ob justam causam, derogare, quamvis non censeatur, id velle, nisi exprimat, facilius tamen derogari potest Patronatui Ecclesiastico, & ejus Beneficia reservari possunt Papæ, n. 133. Quomodo à Papa derogari possit Juri patronatus, quòd Laico competit ex speciali privilegio, aut consuetudine: item ei, quòd simul ad Clericum, & Laicum pertinet? n. 134. Aff. 3. Legatus Papæ à Latere potest sibi reservare Ecclesiam, vel Beneficium primò vacaturam, illudque, cum vacat, conferre certæ personæ, irrequisito Patrono Ecclesiastico: non autem irrequisito Laico, vel Clerico, cui jus præsentandi competit, ratione patrimonij, n. 135. Non potest Legatus etiam à Latere, derogare Juri patronatus mixto, quòd partim Sæculare, partim Ecclesiasticum: potest autem derogare Patronatui Laico, sive ex præscriptione solum, sive ex consuetudine, alicui comparat, num. 136. An in dubio Patronatus mixtus totus Laicalis, an verò Ecclesiasticus centeri debeat? num. 137.

§. VI. Quibus modis Jus Patronatus amittatur, vel extinguatur?

Varijs modis Jus patronatus extinguitur, quibus censetur, num. 138.

SERIES CAPITVLORVM IN ANTIQVIS.

c. 1. n. 44. & n. 50.	c. 21. n. 25. & 26.
c. 2. n. 52.	c. 22. n. 113.
c. 3. n. 48. & seq. & num.	c. 23. num. 39. & quatuor seqq.
III.	c. 24. num. 97. & pluribus seqq.
c. 4. n. 23. & seq.	c. 25. num. 31. & pluribus seqq.
c. 5. in princ. nu. 96. & §.	c. 26. n. 99. & seq.
De cætero; n. 64.	c. 27. nu. 114. & duobus seqq.
c. 6. n. 93.	c. 28. n. 135. & seq.
c. 7. num. 72. & pluribus seqq.	c. 29. n. 101. & seq.
c. 8. nu. 65. & §. fin. num.	c. 30. n. 126. & seq.
117.	c. 31. n. 27. & tribus seqq.
c. 9. n. 80.	IN SEXTO.
c. 10. n. 66.	c. unic. n. 60. & duobus seqq. & §. Verum; num. 107. & duobus seqq.
c. 11. n. 67. & seq.	IN CLEMENTINIS.
c. 12. n. 111. & seq.	Clement. 1. num. 128. & seq.
c. 13. n. 81.	Clement. 2. in princ. n. 41. & §. fin. n. 46.
c. 14. n. 118. & seq.	
c. 15. n. 92.	
c. 16. n. 71. & seq.	
c. 17. n. 69. & seq.	
c. 18. n. 124.	
c. 19. n. 83.	
c. 20. n. 122. & seq.	